

condemmandum, requiritur, quod reus tortus postea persistat in confessione, eamque ratificet extra tormenta ad banchum juris. Ita Glossa in l. II, §. *Aliquid*. C. *Quorum appellat. non recip.*; Abbas cit. c. *Cum in contemplatione*. n. 7, de *Reg. jur.*; Mascardus de *Probatione*. concl. 353, n. 9, et seqq. Farinacius lib. III, quæst. 83, cap. III, n. 67. allegans plurimos alios. Julius Clarus cit. quæst. 64, n. 40, cum communi. Ratio hujus desumitur et l. I, §. *Questioni*. ff. de *Questionib.* ubi dicitur, quod « Tortura res est fragilis et periculosa, et quæ veritatem fallat: nam plerique patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemunt, ut exprimi ab eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut in quovis potius mentiri, quam pati tormenta velint, » etc. Nec igitur ob intolerabilem cruciatum effugiendum quis falso crimen confiteatur, quod non fecit (prout nonnunquam contingisse, experientia docuit) merito inductum fuit, ut confessio in tortura facta plene non probet, nisi tortus in ea persistat, ipsamque ratificet.

148. *Qualiter reus tortus censeatur persistere in confessione.* — Censetur autem reus tortus in confessione persistere: non si statim hanc post torturam ratificet (præsumeretur enim adhuc durare metus tormentorum), sed si post spatium unius diei et noctis ad banchum juris, ut vocant, ductus, et extra tormentorum conspectum positus, confessionem suam repetat, arg. l. II, C. de *Custodia reor.*; Farinacius cit. quæst. 83, n. 73 et seqq.; Clarus de quæst. 64, n. 4, Engel h. t. n. 17 et alii. Et quidem plures doctores per spatium unius diei et noctis, intelligunt spatium viginti quatuor horarum: alii vero sufficere aiunt, si saltem nox fuerit intermedia, etsi horæ viginti quatuor nequaquam plene fuerint completæ. Quinimo nonnulli apud Farinacium loc. cit. n. 75, censent, expectandum esse per tres dies, et tres noctes; nam per solum diem et noctem, adhuc reus dicitur esse in dolore, et cruciatus atque ita servari in tribunali inquisitorum hæreticæ pravitatis, testatur Simanchus *Cathol. institut.* tit. LXV, n. 71. Verum Bartolus in l. I, §. *Divus Severus*. n. 4, ff. de *Question.* et communior doctorum censet, istud relinquendum esse arbitrio iudicis, qui secundum qualitatem torture illatæ, ipsiusque personæ tortæ, judicabit, quanto temporis spatio præsumatur cessare dolor, ac metus tormentorum. Clarus et Farinacius, ubi supra, n. 76, cum aliis.

149. *Confessio criminis emanata sub spe impunitatis a iudice promissæ, an probet?* — Quæritur III. Utrum confessio criminis, emanata sub spe impunitatis a iudice promissæ probet, et sufficiat ad condemnandum? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, est, quia licitum est iudici, causa veritatis explorandæ aliquid simulare, et fingere, exemplo Salomonis regis, III *Reg.* III, ac refertur c. *Afferte*. 2, de *Præsumption.* ubi is duabus mulieribus coram se litigantibus, quarum quælibet asserebat filium suum vivere, jussit dividi infantem vivum: non quod hoc facere intenderit (repugnat enim juri naturali, occidere innocentem), sed id jussit tentative solum, videlicet ad explorandum maternum affectum alterutrius earum; ut notat Abbas in cit. c. *Afferte*. n. 1. Quæ eadem ratione Christus Dominus post suam gloriosam resurrectionem, coram duobus discipulis euntibus in Emmaus, finxit se longius iturum, ad probandum videlicet eorum affectum, an videlicet illi, qui « eum, etsi necdum ut Deum diligere, saltem ut peregrinum amarent; » prout explicat divus Gregorius papa homil. 23 in *Evangelia*. Atque idcirco, quod possit iudex promittere reo impunitatem pro repenti veritate, et hac per confessionem ejus patefacta nihilominus reum condemnare, tenent non pauci doctores, quos pro hac sententia citat Covarruvias lib. II *Var. resolut.*, cap. II, n. 16; Menochius lib. II de *Arbitrar. judic.* casu 367, n. 7, et Farinacius lib. III, quæst. 81, n. 278 et 279, inter quos sunt Geminianus in can. *Nos in quemquam*. 2, q. 1, Felinus c. *Afferte*. n. 4, de *Præsumpt.*; Archidiaconus in can. *Utilem*. 22, q. 2; Cynus in l. *Præsenti*. C. de *vis, qui ad Eccles. confug.* et plures alii: adeo, ut hanc sententiam magis esse communem censeat Jul. Clarus lib. V, §. fin. quæst. 55, n. 9, licet contrariam opinionem arbitretur æquiorum. Verum præmissis non obstantibus,

150. *Confessio ejusmodi non sufficit ad condemnandum pœna ordinaria.* — Resp. I. Confessio emanata sub spe promissæ per iudicem impunitatis, veluti ejusdem iudicis dolo extorta, ad condemnandum pœna ordinaria non sufficit; nisi forsitan reus absque ulteriori spe factæ promissionis, in illa confessione perseveraverit, seu ipsam ratificaverit. Ita Covarruvias cit. cap. II, n. 46, pro hac sententia allegans Joan. Imolam, consil. 109, Decium in l. *Ea est natura*. ff. de *Reg. jur.*, et alios; Farinacius cit. quæst. 81, n. 276, et seqq. et

plures alii, hanc sententiam non solum æquiorum, sed etiam magis communem reputantes. Atque hæc fundatur imprimis in naturali lumine, quo dictante cuilibet, etiam hosti, fides promissa servanda est, can. *Noli*. 23, q. 1. Accedit, quod per ejusmodi fictam impunitatis promissionem illaquearetur reus fraude, et mendacio: hoc autem a quolibet bono viro, ac præsertim a iudice, summopere vitandum est; ac proinde iudex vel ab hujusmodi fictis promissionibus abstinere debet, prout passim consulunt doctores, vel datam reo fidem servare tenetur. Hoc ipsum confirmatur ex c. *Sane*. 7, de *Renuntiât.*, ubi in simili is, qui pravo partis adversæ consilio inductus, reditis propriis instrumentis ejus misericordiæ se subiecit; postmodum, unde misericordiam debuit impetrare, inde cogebatur dispendium sustinere, » auctoritate apostolica in pristinum statum restituitur. Illud quippe etiam accideret in proposito, dum reus falsis iudicis promissionibus inductus ad confitendum, ejus misericordiæ se subiecit; ergo,

151. *Solvitur ratio dubitandi. Licitum est, in bello justo ponere hostibus insidias, non vero datam eis fidem violare.* — Nec obstant rationes in oppositum. Nam aliud est aliquid simulare, seu fingere se facturum explorandæ veritatis causa, exemplo Salomonis, et Christi Domini: aliud, ficto et doloso animo impunitatem promittere. Illud quidem est licitum, istud vero intrinsece malum, et prohibitum, utpote continens mendacium perniciosum, dolumque malum. Sicut a pari, in bello justo licitum est uti stratagematibus, ac ponere hostibus insidias, can. *Dominus noster*. 23, q. 2; non autem est licitum, promissam hostibus fidem violare, et frangere, cit. can. *Noli*. 23, q. 1.

152. *Sufficit tamen dicta confessio ad condemnandum reum pœna extraordinaria.* — Additur notanter in conclusione, « ad condemnandum pœna ordinaria. » Quia licet confessio spe promissæ impunitatis extorta non sufficiat ad condemnandum pœna ordinaria, juxta proxime dicta: nihilominus sufficit ipsa ad condemnandum in pœnam quamdam extraordinariam, dummodo postea per reum non fuerit revocata. Farinacius cit. quæst. 81, num. 302; Covarruvias loc. cit. num. 16, vers. *In eo tamen casu*; Menochius lib. II de *Arbitrar. judic.* casu 367, num. 4, citans alios, et hac ratione concordans abbas extremas sententias. Nam hoc ipso, quod iudex non condemnet reum per pœnam or-

dinariam, stat suæ promissioni de servanda indemnitate ab hac pœna ordinaria: unde, ne crimina maneant penitus impunita in perniciem reipublicæ, locus erit pœnæ mitioris seu extraordinariæ.

153. *Quid si reus in illa confessione perseveraverit?* — Additur ulterius in dicta conclusione, « Nisi forsitan reus absque ulteriori spe factæ promissionis in illa confessione perseveraverit, eamque ratificaverit. » Tunc enim virtute hujus ratificationis, seu iteratæ confessionis, poterit condemnari in pœnam ordinariam: quanquam ad hoc requiri ratificationem expressam, et quidem cum expressa denuntiatione, quod impunitatis jam promissæ nulla habenda sit ratio, censeat Farinacius cit. quæst. 81, num. 287, 288 et 289, allegans Bossium tit. de *Confes. per tortur.* num. 14, et plures alios; et videtur etiam tenere Covarruvias cit. num. 16, illis verbis: « Nisi spe promissionis frustratus in ea (confessione) perseveret. »

§ VII.

DE OBLIGATIONE CONFITENDI VERITATEM EX PARTE REI A JUDICE INTERROGATI.

154. *Judici non legitime interroganti reus fateri veritatem non tenetur.* — Quæritur I. An iudici non servato juris ordine interroganti, reus teneatur fateri veritatem? Resp. I. Iudici non legitime interroganti, aut non servato juris ordine procedenti, non tenetur reus veritatem fateri, neque juramentum præstare. Ita Lessius lib. II de *Justit. et jur.*, cap. xxxi. n. 8; Lugo de *Justit.* disp. 40, sect. 1, n. 1; Layman lib. III, sect. 3, tract. VI, cap. v. n. 4; Sannig h. t. cap. II, n. 5; Bonacina in *Decalogum* disp. 10, quæst. 3, punct. 2, num. 2, et communis aliorum, post divum Thomam. 2, 2, q. 69, art. 2, ubi sit, quod aliud est, veritatem tacere, aliud falsitatem proponere. Primum horum aliquando licet: non enim tenetur quis omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo requirit iudex secundum ordinem juris. Falsitatem autem proponere, in nullo casu licet alicui. Id ipsum desumitur ex c. *Qualiter et quando*. 17, et c. *Cum oporteat*. 19, et c. *Inquisitionis*. 21, de *Accusat.*, cum concordantiis; ubi iudex prohibetur procedere ad inquisitionem, et examinationem reorum, nisi juris ordine servato: ergo hoc non observato nullam potest reo obligationem imponere ad

aperiendum crimen, vel ad jurandum de calumnia, seu de veritate dicendo; cum jus hanc potestatem ipsi non concesserit.

155. *Sed potest ejus interrogationem artificio eludere, non autem mentiri.* — Unde consequens est, reum non juridice interrogatum neutiquam teneri ad iudicis mentem respondere, sed posse locutione amphibologica, vel alio artificio, ejus interrogationem eludere. Falsitatem autem dicere, seu mentiri, nunquam est licitum: cum sit intrinsece malum: quanquam mentiri non legitime interroganti, mortale peccatum non sit, præter eos casus, in quibus mendacium, etiam extra iudicium prolatum, mortalem culpam continet.

156. *Ut reus censeatur interrogari servato juris ordine, quid requiratur?* — Porro ut reus censeatur interrogari juris ordine servato, præter hoc, quod iudex cæteris sit legitimus; requiritur, ut vel præcesserit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa seu manifesta indicia ejus apparuerint (tunc enim potest iudex ex officio procedere, c. *Qualiter et quando*. 24. de *Accusatione*. cum similibus), vel quod præcesserit accusatio, seu denuntiatio criminis, una cum semiplena probatione ipsius. Alioquin vero, si nullum horum intervenerit, censeatur reus a iudice interrogari non servato juris ordine. Divus Thomas, et auctores proxime allegati, et alii.

157. *Judex nequit reum interrogare de occultis criminibus, si nulla præcesserit infamia, probatio vel indicium.* — Infertur prout, quod de occultis criminibus, sive de quibus nulla præcesserit infamia, probatio vel grave indicium, iudex reum interrogare non possit; ut patet ex c. *Qualiter et quando*. 17. § fin. de *Accusatione*. ibi: « Exceptis occultis criminibus. » Siquidem occulta publicanda non sunt, sed soli Deo relinquenda, can. *Erubescant*. dist. 32. et can. *Si omnia*. 6. q. 1. juncta Glossa ibid. §. *Si omnia*; et notat Abbas in c. *Cum super*. n. 17. h. t. inde inferens, quod nulla æquitas possit movere iudicem, ut possit interrogare reum de occultis.

158. *Neque convictum de uno crimine, potest interrogari de alio non connexo.* — Atque hoc adeo verum est, ut iudex reum de uno crimine infamatum, vel etiam convictum, non possit examinare de aliis criminibus, quæ neque suapte natura, nec indicibus connexa sunt: ut si quis fuerit deprehensus, aut convictus de furto, non debet is examinari de

homicidio, nisi præcesserint aliqua hujusmodi indicia; quin etiam convictus de uno homicidio, nequit examinari de alio homicidio, si de hoc nulla indicia habeantur. Navarrus in rubric. de *Judiciis*, num. 62; Layman lib. III. tract. VI. cap. v. n. 5, citans plures alios.

159. *Alioquin graviter peccat.* — Infertur ulterius, quod iudices peccent, et quidem graviter, qui in causis criminalibus, præsertim notabilis infamiae, quempiam sine prævia semiplena probatione, diffamatione, aut sufficientibus indicibus comprehendunt; eumque ad dicendam veritatem juramento astringunt, et contra ipsum procedunt interrogando eum de gravi crimine, et aliis istud concernentibus in particulari. Tales enim graviter lædunt famam proximi, simulque agunt contra justam prohibitionem juris communis, volentis, ut absque prævia diffamatione, aut semiplena delicti probatione, contra criminosos specialiter non inquiratur. Navarrus in can. *Inter verba*. 11. q. 3. concl. 6. num. 179 et 181; Lugo cit. disp. 40. de *Justit. et jur.* num. 1. vers. *Unde infertur*, et alii. Pulchre ad propositum *Practica criminalis Fratrum Minorum*, quam refert Ludovicus de Ameno tit. XIX. *Reus*. § 2. (mih. f. 660.) in hæc verba constituit: « Non est constituendus reus, nisi in informatione constet, delictum esse semiplene probatum, vel adesse æquipollentia indicia. Secus agens iudex mortaliter peccabit, et reus respondere non tenebitur; quia non interrogatur juris ordine servato. » Hæc ibi.

160. *Utrum dubitans, an juridice interrogatur, teneatur confiteri veritatem, variant doctores.* Resp. II. Utrum reus dubitans, an juridice interrogetur, teneatur confiteri veritatem? variant doctores. Et quidem negativam tenet Lessius lib. II de *Justit. et jur.*, cap. xxxi. num. 10, allegans pro se Cajetanum 2. 2. quæst. 69. art. 1; Sotum de *Secreto*, memb. 3. q. 2. concl. 2, et Adrianum *Quodlib.* 2. Idem tenet Lugo cit. disp. 40. num. 2 et 3; Layman loc. cit. n. 4. concl. 2, et alii. Rationem dant: quia nemo tenetur obedire superiori cum gravissimo suo incommodo, nisi constet eum legitime præcipere; manet enim quis in possessione suæ libertatis, et incolunitatis, seu bonæ famæ: atqui stante dubio illo necdum constat, quod superior, seu iudex legitime præcipiat. Accedit, quod in dubio favendum sit reo, c. *Cum sunt partium*, 11. de *Reg. jur.* in 6. et l. *Favorabiliores*. ff. eod.

161. *Utrum dubitans, an juridice interroge-*

tur, teneatur confiteri veritatem, variant doctores. — Oppositam sententiam, seu affirmantem, quod stante præmisso dubio reus iudici interroganti teneatur fateri veritatem, tradit Paludanus, 4. dist. 19. q. 4, quem citat, et sequitur Sylvester §. *Inquisitio*, 1, num. 7, ejusque sententiam probabiliorē censet Bonacina cit. disp. 10. in *Decalogum*, quæst. 3, punct. 2, num. 4. una cum pluribus aliis, quos refert Diana, part. II, tract. V. *Miscellan.* resol. 91 et 106. Rationem dant, quia in dubio obediendum est legitimis superioribus, can. *Quid culpatur*. 23, q. 1.

162. *Quid in praxi observandum?* — Verum, quia auctores prioris sententiæ respondere solent rationem hanc, atque allegatum canonem procedere solum, quando concessa auctoritate legitimi superioris, seu iudicis, dubium est, an res præcepta sit licita, nec ne: secus autem, ubi dubitatur, an is habeat potestatem præcipiendi; prout uberius declarat Lugo, cit. num. 2. Hinc in praxi, et loquendo pro foro externo, consultum erit, ut iudex antea denuntiet reo, quod delictum, de quo interrogabitur, adeo sit probatum, vel quod ipse reus tanta labore diffamatione, aut tam gravibus urgeatur indicibus, ut iudici competat jus eum juridice interrogandi, sicque is veridice respondere teneatur. Quod si reus talia indicia, vel probationem semiplenam adesse negaverit, oportet, ut iudex aperiat reo statum causæ, probationes, indicia vel diffamationem jam probatam, ut videat se juridice interrogari, sicque respondere teneri. Lessius, cit. lib. II, cap. xxxi, n. 10, post Cajetanum cit. quæst. 69, art. 1; Lugo, ubi supra. n. 7; Sannig. h. t. cap. II, n. 7; Diana, part. III, tract. V. resol. 91, citans Ludov. Mirandam in *Ordine judiciario*, tom. II, quæst. 19, art. 13, concl. 2. et plures alios. Sin minus, poterit reus excipere contra nullitatem processus, ob defectum diffamationis, indiciorum, aut semiplenæ probationis, ne alioquin sibi præjudicet: ut cap. I. et II. de *Accusat.* in 6. In dubio autem iudicis erit, de horum sufficientia cognoscere, l. *Si quis ex aliena*. ff. de *Judiciis*, ubi dicitur: « Prætoris enim est existimare, an sua sit jurisdictio. »

163. *Judici legitime interroganti tenetur reus in conscientia fateri veritatem.* — Quæritur II. Utrum, et sub qua obligatione iudici legitime interroganti reus teneatur fateri veritatem? Resp. I. Si iudex servato juris ordine interroget, ac vel sub juramento, vel alias legiti-

me præcipiat sibi veritatem dici, tenetur reus in conscientia hanc fateri. Ita divus Thomas 2. 2, q. 69, art. 1; Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. xxiii. num. 5, citans Innocentium in cap. II. de *Confessis*; Navarrus, cap. xxv *Manualis*, n. 36; Lessius, loc. cit. n. 12; Layman, cit. tract. VI, cap. v. n. 4; Sannig, h. t. cap. II, n. 5; Sanchez, lib. II. in *Decalogum*, cap. VII. num. 1 inde inferens, quod si iudex juridice interrogat, constet, esse lethale peccatum, in re notabili veritatem amphibologice tegere, cum teneatur eam sincere aperire: estque communis aliorum. Ratio est, quia quilibet tenetur obedire superiori legitime præcipienti: sed iudex servato juris ordine procedens, ac interrogando præcipiens, vel juramentum de dicenda veritate deferens, legitime præcipit; ergo. Accedit, quod potestas juridice interrogandi ex parte iudicis, et obligatio respondendi ex parte rei sint correlativa; quin imo iudicem judicialiter interrogare, idem est, ac reum obligare ad respondendum. Lugo, cit. disp. 40. n. 8. Ad quid autem deserviret potestas judiciaria, si reus legitime interrogatus, adhuc veritatem celare (ne dicam mentiendi negare, quod est intrinsece malum) eandemque sive locutione amphibologica, sive aliis modis occultare, libere valeret?

164. *Reo in juridice interrogando solet antea imponi juramentum de veritate dicenda. Et quid in causis criminalibus?* — Additur in conclusione, « vel sub juramento. » Nam in causis civilibus, imo et alicubi in causis criminalibus, reo juridice interrogando solet antea imponi juramentum de veritate dicenda: et tunc non solum ex vi legitimi præcepti iudicis, sed etiam ratione præstiti juramenti, tenebitur reus veritatem edicere, ne alioquin perjurii reatum incurrat. Et quamvis hanc practicam, quod in criminalibus reo deferatur juramentum de veritate dicenda, sibi nunquam placuisse asserat Julius Clarus, lib. V *Practic. criminal.* § fin. quæst. 45, n. 9, eo, quod sit manifesta occasio perjurii, tamen addit, in practica non esse recedendum a communi observantia.

165. *Nemo debet cogi ad detegendam propriam turpitudinem; et quomodo istud sit intelligendum?* — Dices: Nemo debet cogi ad detegendam propriam turpitudinem, arg. can. *Quis aliquando*. § *His auctoritatibus, de Pœnit.* dist. 1, et l. *Alias autem*. ff. de *Jurejurand.* atque esse communem regulam, testatur Decius in l. fin. post. n. 6, c. de *Edendo*;

et Julius Clarus, cit. § fin. quæst. 45, n. 9. Ergo etiam reus, quantumvis juridice interrogatus, non potest cogi ad confitendam veritatem, præsertim ubi detegeretur propria turpitudine. Resp. Antecedens esse verum in casu, quo alius non habet jus legitime interrogandi: uti fit, in cit. 1. *Alias autem*; alias secus. Et hinc etiam iudici, quando interrogat non servato juris ordine, nemo tenetur detegere propriam turpitudinem: bene tamen, ubi is prævia semiplena probatione, diffamatione, aut manifestis indiciis juridice interrogat. Atque istud in causis civilibus, et criminalibus levioribus, doctores communiter concedunt.

466. *An in causis criminalibus gravioribus reus juridice interrogatus sub gravi obligatione teneatur fateri veritatem?* — Verum loquendo de causis criminalibus gravioribus (hoc est, de illis, in quibus timetur sententia mortis, irremium, perpetuorum carcerum, vel confiscationis omnium honorum; ut explicat Lessius, cit. lib. II, c. xxxi, n. 17, et Lugo d. disp. 40, n. 14.) nonnihil variant doctores. Licet enim etiam in istis multorum sententia agnoscat gravem obligationem rei juridice interrogati ad fatendum crimen; prout post divum Thomam, 2, 2, q. 69, art. 1, et Cajetanum ibid. tenet Navarrus, et Covarruvias ubi supra pluresque alii, per Lessium loc. cit. n. 12. pro hac sententia, quam appellat communiorem, relati. Oppositum nihilominus, videlicet in causis capitalibus reum non peccare mortaliter negando crimen, quando spes est evadendi, etiamsi juridice interrogetur; non improbabile censet idem Lessius, n. 16, et Lugo, n. 14, et seqq.; Sannig cit. cap. II, n. 5, h. t.; ac novissime Joan. Cardenas in *Crisi theologica*, dissert. 19, ad Propositionem 26, et seqq. Innocentii XI, cap. VII, n. 81, citans complures alios. Ratio est, quia præceptum iudicis de dicenda veritate, debet esse secundum naturam, hoc est, accommodatum conditioni naturæ humanæ; prout de ipsismet legibus habetur, can. *Erit autem lex*, dist. 4. Atqui tale non videretur esse, si reus ad præceptum iudicis illico teneretur fateri crimen necdum plene probatum, haud obstante, quod exinde sit morte pleetendus. Accedit quod cuilibet liceat transigere, seu pacisci de crimine capitali (excepto adulterio) sicque sanguinem, et vitam suam redimere, l. *Transigere*, c. de *Transactione*. etsi secus sit in aliis criminibus, ut ibidem dicitur. Tacentur similia, de quibus fuse Lessius. et Lugo, ubi supra.

467. *Reus juridice interrogatus peccat mortaliter, si non fateatur veritatem.* — Resp. II. Reus juridice interrogatus a legitimo iudice peccat mortaliter, si non fateatur veritatem: unde durante prava sua intentione eandem negandi, non potest a confessario sacramentaliter absolvi. Ita Navarrus, cap. xxv, *Manual*, n. 36, et communis aliorum, illis demptis, qui juxta proxime dicta excipiunt causas criminales graviores præsertim capitales: quorum sententia, utpote probabiliis, confessario inservire poterit, ut reum ita persuasum non multum teneatur urgere ad aperiendum crimen, sed possit ipsum absolvere; prout notat Layman, cit. n. 3. post Sa. y. *Judicialis actus*. § de *Reo*, n. 6, et Solum, l. VI, quæst. 5, art. 2. Conclusio sic declarata sequitur ex dictis; quia enim iudici legitime interroganti, sive accesserit juramentum de veritate dicenda, sive non, tenetur reus de plano respondere, faterique veritatem; ergo istud ejus præceptum in materia gravi transgrediens, peccat mortaliter. Neque enim ad evitandum quodeumque damnum, licitum est peccare: quinimo, si quis excusaretur a peccato, hoc ipso, non obligaretur præcepto iudicis juridice interrogantis de fatenda veritate.

468. *Nec durante sua prava intentione hanc neganti, propter sacramentaliter absolvi.* — Atque ex his sequitur altera pars datæ conclusionis. Nam, ubi reus perseverat in sua prava voluntate negandi veritatem, dum tamen istam ad mandatum iudicis legitime interrogantis, vel etiam juramentum imponentis, tenetur aperire, hoc ipso non poenitet eum peccati, ac perjurii, neque habet propositum emendationis; ergo non meretur veniam neque absolutionem sacramentalem. Hinc *Praxis criminalis Fratrum Minorum*, relata per Ludovic. de Ameno, tit. XIX, *Reus*, § 6, notanter inter alia sic deposuit: « Reus legitime interrogatus sub mortali culpa (a qua, nisi dicat veritatem, in foro poenitentiae absolvi non possit) tenetur de plano respondere ad mentem iudicis interrogantis. »

469. *Istud non debet videri nimis durum; quomodo intelligendum?* — Dices: Textus hic, una cum data conclusione, videtur nimium durus, imo, et contra rationem naturalem: nam inde sequeretur, quod reus in iudicio semel negans delictum a se commissum, nunquam posset sacramentaliter absolvi, nisi deinde iudicem adeat, et crimen fateatur:

hoc autem videtur nimis durum, et contra omnem rationem; ergo. Resp. neg. assumptum, una cum sequela majoris suæ probationis. Nam sensus conclusionis est, quod durante sua prava voluntate negandi veritatem, vel persistendi in perjurio, etiamsi de novo interrogaretur, non possit a confessario absolvi: quia retinens animum etiam in futuro examine negandi veritatem, quam tamen juridice interrogatus sub mortali tenetur aperire, habet actualem voluntatem peccandi mortaliter; sicque non est rite dispositus ad recipiendam absolutionem sacramentalem. Non autem vult conclusio, neque allegatus textus *Praxis criminalis*, quod ille qui semel negavit veritatem, atque exinde fuit judicialiter absolutus in foro externo, vel e carcere fugiens omnino est extra potestatem iudicis, teneatur redire, et postea etiam non interrogatus debeat delictum coram iudice illo fateri, ut sacramentaliter absolvi possit. Hoc quippe merito durum nimis, et contra rationem naturalem esse videretur; quia aliud non foret quam se ipsum prodere. Ludovic. de Ameno in *Praxi criminali*, tit. XIX, § 6, n. 35; Lugo, ubi supra, n. 17; Sanchez, lib. III, in *Decalogum*, cap. VIII, n. 5, citans alios.

470. *An reus, qui negavit, sed adhuc est in potestate iudicis, teneatur se offerre iudici ad fatendam veritatem? Et quid, si potestatem iudicis jam evasit?* — Et additur hic notanter, « omnino est extra potestatem iudicis. » Nam quando reus adhuc est in iudicis potestate, neque sententia jam lata fuit, multi volunt eum esse in malo statu, nisi se ad fatendam veritatem etiam non rogatus offerat; ac proinde absolvendum non esse, nisi id præstare firmiter proponat: censetur enim adhuc durare iudici præceptum, obligans ad mortale. Atque hanc sententiam esse communem, asserit Sanchez, cit. cap. VII, n. 6, post Solum, lib. V, de *Justit.* quæst. 6, art. II, vers. *Ex his autem*; Navarrum, cap. xxv, *Manual*, n. 36, et alios: quamvis idem Sanchez, n. 8 et Lugo, ubi supra, n. 17, oppositam sententiam existimet esse probabiliorum, de quo citari auctores.

471. *Utrum reus ex præsumptione falsa a iudice interrogatus, teneatur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa condemnandus est in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientia non tenetur? Status questionis exemplis declaratur.* — Quæritur III. Utrum reus ex præsumptione falsa

a iudice interrogatus, teneatur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa condemnandus est in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientia non tenetur? Exemplum hujus ponit Sanchez, lib. I, de *Matrim.* disp. 10, n. 27, de eo, qui fecte promisit matrimonium; sicque certum est, quod in foro conscientia vi hujus promissionis, utpote factæ, non teneatur ducere puellam, cui talis promissio facta est; etsi concessa illa promissione, cum internam fictionem probare nequeat, in foro externo certissime ad eam ducendam sit condemnandus. Aliud hujus exemplum ponit Lugo, disp. 40, de *Justit. et jur.* sect. 1, n. 4, de Titio, qui ex præsumptione falsa commissi homicidii judicialiter interrogatur, an exierit ex tali domo, et tali tempore, stricto ense? Quod quidem verum est, ac etiam jam semiplene probatum, sed exitus ille non contingit facto homicidio, sed ob aliam causam: unde quæstio remanet, an taliter interrogatus possit negare exitum illum, ne alioquin licet innocens, ob tam gravem præsumptionem habeatur reus homicidii? Et tales casus possunt innumeri formari, quorum aliqui n. seqq. referuntur. Quò prænotato,

472. *Quantum attinet ad forum conscientia, sententia negativa statuitur.* — Resp. Quantum attinet forum conscientia probabile est, quod interrogatus a iudice ex præsumptione falsa delicti, vel debiti, possit negare ejusmodi propositionem, utpote falsam in sensu ab actore, seu iudice hic et nunc principaliter intento. Ita Navarrus in can. *Humana aures*, 23, q. 5, quæst. 1 et 2, per totum, ubi non solum tamen asserit coram Deo esse immunem a mendacio, sed etiam a perjurio, licet a iudice adjuratus ita negaverit. Concordat Sanchez, et Lugo, loc. cit. ubi in casibus proxime relatis hoc ipsum docent Covarruvias, lib. I, *Var. resolut.* cap. II, n. 3, post Baldum in *Rubr. c. de Fide instrument.* n. 30, et Hippolytum singul. 177, et alios, docens, quod si Sempronius petat a me centum, v. g. florenos, quos mihi mutuavit, sed ego secreto, sive absque testibus ipsi jam solvi, possim sine ullo crimine hanc ejus petitionem negare, prout in ea actoris propositione continetur: quia (inquit) nullum hic intervenit mendacium, ea ratione, quod actor in eo libello asserat centum mihi mutuasae, et adhuc me sibi obnoxium esse ad eorum solutionem: hoc enim falsum est, cum ei centum solverim; et ideo petitio ea forma, qua